

tinacia immoderata est, ubi non voluntas rationi subjicitur. Cæterum
congruentia illa ad regulam rectitudinis, seu rectam rationem,
involvit omnem eam perfectionem, quæ actioni non ab-
solutè ex naturâ actus; sed secundum rectam rationem
competit, ut adeò actus eò majora bonitatis suæ incrementa su-
mat, qvò propius atq; perfectius conformat se rectæ rationi, &
vice versa eò propinquius accedit ad malitiam, qvò longius ab-
est ab ejus dictamine. Qvoniā autē Bonum est ex integrâ caussâ, ma-
lum ex qvôvis defectu, ut rectè dicit Dionys. Areop. de divin. nom. cap.
4. fluit inde, qvòd in omni actu moraliter bono inesse debeat ag-
gregatio atq; concursus eorum omnium, quæ actu moraliter conside-
rato aliquam largiri bonitatem queunt. Hinc reqviritur i. Bonitas,
aut ad minimum indifferentia objecti. 2. bonitas finis, 3. bonitas me-
diorum aliarumq; circumstantiarum. Qvod si enim unum ex his defi-
ciat, totus actus vitium contrahit.

XX. Bonitati contrariè opponitur malitia, quæ est difformitas
quædam ac defectus à Regulâ rectitudinis. Et sic semper, si quiddita-
tivè exprimi debeat, est exponenda; quamvis non ignarus sim,
non deesse, qui eandē integratæ defectum, vel unius, vel eorū omni-
um, quæ actu non absolutè, sed secundum rectam rationem convenire
debebant, caussaliter dici posse autumant, qvorum etiam sententiae
in se & suo modō cognitæ, qvo minus calculus addi possit, non
obsto. Haud ineptè tamen me facturum puto, si formalem mali-
tiæ rationem defectum nominavero, proficiscentem tūm ab omis-
sione illius, qvod agi oportebat; tūm à commissione ejus, qvod agi
haud addecebat: qvandoq; videm indubitatè verum est, utrumq;
moraliter malum esse, & id, qvod fieri debebat, non facere, & id,
qvod non debebat, ultrò facere; qvâ de re prolixius differentem
Hornejum vide l. 2. Civil. Doctr. c. 7.

XXI. Qvæstio h̄c mihi sub manu qvasi nascitur, non rara il-
la qvidem, sed nobilis ac Philosophis usitatissima. Cum enim
hactenus, qvantum id qvidem in me positum fuit, de Bonitate &
Malitiâ A.M. convenientibus differuerim, qværi potest, annon-
dentur aliquot actiones mistæ, seu tales, qvæ simul sint bonæ & malæ?
Ne justò sim prolixior, negativa omnino est defendenda, cùm ac-
curatiores Philosophiæ cultores ad unum omnes affirment, nul-
lam actionem in genere moris posse bonam & malam esse simul;
quia fieri nequit, ut actus aliquis ex hac vel illâ circumstantiâ ma-
lus, in ordine ad beatitudinem per se conduceat homini, adeoq;
non nihil bonitatis involvat. Qvicq; vid enim defectum habet in